

**Joh. Andreae Stisseri De variis erroribus, chemiae ignorantia in medicina commissis dissertatio epistolaris ad Godefr. Guilielmum Leibnitium.**

**Contributors**

Stisser, Johann Andreas, 1657-1700.

**Publication/Creation**

Helmestadii : Typis Georg-Wolfgangi Hammii, 1700.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/d86f98k5>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



49852/B


16.273.

1. STISSER Commendatio chemiae 1689
2. " De variis erroribus 1700
3. " Actorum laboratorii chemici  
1690-98.



# 2750  
1





Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30544919>



D. O. M. I.

JOH. ANDREÆ STISSERI

Chemiæ & Botanices in Acad. Juliâ

Professoris Ordin.

DE

VARIIS ER-  
RORIBUS, CHE-  
MIÆ IGNORANTIA  
IN MEDICINA  
COMMISSIS

DISSERTATIO EPISTOLARIS

Ad

*Illustrem atq; Excellentissimum Virum*

DOMINVM

GODEFR. GVILIELMVM  
LEIBNITIVM.

---

HELMESTADII,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.  
ANNO M DCC.



1692

D. O. M. J.

JOHN ANDREWS STREET

Chemist & Botanist in Auld, John

Professors Ordin.

VARIIS ER-

ROBERTUS CHE.

MIA IGNORANTIA

IN MEDICINA

COM 1323

GODEFR. WILLHELM

Typis Georgii Weylandti, Hammonii, fecit. Typographus.

ANNO M DCC.





VIRO

*Illustri atq; Excellentissimo*

DOMINO

GODEFRIDO GVILIELMO  
LEIBNITIO

S. P. D.

JOH. ANDREAS STISSER



Uamvis non ignorem; VIR ILLVSTRIS  
ATQUE EXCELLENTISSIME, ardua  
illa, & Viris Principibus non minus grata,  
quàm erudito orbi maximè proficua TUA  
negotia, ad varia animum TUUM distraxisse  
hactenus, valde tamen miror, quod sub gravi illo suscepto  
laborum pondere, de Chemiâ non modò cogitare, sed &  
ejus quoq; insignem peritiam TIBI comparare, non mole-  
stum habueris, Virorum maximè Illustrium exemplo, qui  
Divinam hanc artem semper in deliciis habuere, ejusq; ad-  
miniculo varias alias artes, præprimis vero Mechanicam,  
Phyficam & Medicinam mirum in modum promoveri  
posse,



posse, haud sine ratione arbitrati sunt. Idem sanè, & eruditissimæ TUÆ literæ de variis salium transmutationibus haud adeò pridem ad me datæ innuere videntur, quæ licet vel peritissimo Chemico negotium facescere valeant, omni tamen operâ volente Deo annitar, ut curiositati TUÆ longè vastissimæ pro viribus satisfaciam, remque non ratiociniis quibusdam sed experimentis ipsis demonstrem.

Utinam vero Medici quidam EXCELLENTIÆ TUÆ aliorumq; Virorum Illustrium exemplo inducti, Chemicam denique in pretio habere inciperent, nec in eâ ulterius hospites planè reperirentur. Quam varia mala in Medicinam intulerit huc usq; istiusmodi ignorantia & artis nobilissimæ neglectus, sine quâ Medicina utiq; mutila & manca deprehenditur, in propatulo est, eoq; res devenit jam pridem, ut nebulones atq; impostores impuris suis sceleratisque manibus sacram Chemicam attrectantes, eaque in hominum perniciem abutentes Chemicorum nomine, appellentur, quemadmodum ex scriptis Medicorum quorundam videre licet, quibus tamen juxta hypothesein hanc & barbitonfores, agyrtæ, mulo medici, carnifices similisq; farina homines facile & eadem prorsus ratione assimilari poterunt, Medicorum quoque nomine ut saluentur, necesse erit, cum Medicinæ pariter se ingerant, formulas præscribant, ægros visitent, pulsum tangerent, matulas contemplantur, & de urinis judicium ferant, omniaque ferè denique exsequantur, quæ Medicorum muneri saltem concessa erant, simili quamvis successu, quo imperiti homines in Chemiâ uti solent.

Videntur autem Veterum autoritate se tueri velle Medici quidam Miso-chymici, ex eâque de Chemiâ malè  
judicandi



judicandi licentiam sumere, quo nihil absurdius in Medicinâ auditum hæctenus. Etenim Chemiam artium facilè omnium antiquissimam esse, Virorum eruditionis famâ clarissimorum consensus facilè probat: (a) Medicos verò plurimorum jam retro seculorum & pristinorum temporum Chemicè præparatis usos esse, Medicosque in Chemiâ non versatos ad curationem ineptos pronunciasse, nemo in veterum lectionibus versatus negabit facilè.

Ecquis autem credet, veteres circa medicaminum præparationes (quas citra Chemiam adornare haud licet) incuriosiores planè fuisse ægrisque suis adeò malè prospexisse, cum sanorum in gratiam cibum & potum Chemico artificio parari debere non addubitaverint? Docent id ipsum panis, cerevisia, vinum, sal culinarium, aquæ ardentes plurimaq; esculenta ac potulenta alia, utique fermentationibus, extractionibus, digestionibus, solutionibus, coagulationibus, destillationibus &c. verbo dicam, Chemico artificio, nec aliâ ratione, uti pharmaca Chemica parari solent, elaborata, quibus ad vitæ conservationem carere non possumus. Utinam Misochemici modo braxatorum, pistorum, salariorum, coquorum, aliorumque mechanicorum labores curiosè intuerentur, atque ab iis discerent, & non gravè ipsis foret, pari ritu è diversis simplicibus pharmaca parare Chemica, quæ eadem ratione ægris, ut alimenta Chemica modo memorata sanis inserviunt, imo ad vitæ sanitatisq; conservationem pariter necessaria reperiuntur. Sanè absurdum sapit alimenta Chemico artificio parare, ne sanis, (quorum ventriculus recte cibos coquit,

A 3

sanguis

(a) O. Borrichius de Ortu & progress. Chemiæ. Rob. Vallengis de Veritat. & antiquit. Art. Chem. Th. Reinesius in Chymiatr.



sanguis insuper & reliqui humores debite moventur, motuque circulari non impedito gaudent, spiritus quoque in vigore constituti sunt) ex cruditate ciborum morbi ansa detur, ægris verò, quorum tamen ventriculus alimenta rite præparata respuit, quorum sanguis & humores debito naturæ motu destituuntur, quorum spiritus languent, viresque maximè deficiunt, medicamenta cruda, nauseabunda & naturæ ingrata præscribere. Destillare jubent in Chemicam debacchantes Medici, aquas caponum, pulmonum, animalium, sanguinis, addito auro, margaritis, aliisque destillationi neutiquam obedientibus & satis ineptè cum cibis quasdam præparationes Chemicas instituunt, quare non cum medicamentis eadem ratione procedendum? & vereor ne detracto veterum pallio latitans sub illo pharmacie ignorantia in conspectum veniat, ludibrioque evadat priscorum placitis ridiculè innixa autoritas, cum veteribus tanta in sacram Chemicam fuerit reverentia, ut facile Medici de ea inique sentientis faciem conspuissent, imo eum Medici nomine planè indignum judicassent.

Certè Medicinæ nostræ parens magnus Hippocrates, ad inveniendum aliquid, non verò ad calumniandum adigit Medicos, & vivis satis coloribus depingit Misochymicos, qui vel luxui vel avaritiæ & socordiæ magis, quam ægrorum saluti inservientes ex aliorum in rem ægrotorum agentium contemptu gloriam & lucrum sperant, quando ita loquitur. *Mibi verò invenire aliquid eorum quæ nondum inventa sunt, quod ipsum notum quàm occultum esse præstet, scientiæ votum ac opus esse videtur: similiterque & semiperfecta ad finem perducere & absolvere. At verò, verborum inhonestorum arte ad ea, quæ ab aliis inventa sunt, confun-*



confundenda promptum esse, nihil quidem corrigendo : eorum verò, qui aliquid sciunt, inventa apud ignaros calumniando, non sanè scientiæ votum aut opus esse videtur, sed proditio magis naturæ suæ aut ignorantia artis. Solis enim artis ignavis hoc ipsum factum convenit, qui contentiose equidem gestiunt, ac conantur, nequaquam vero possunt malitiei sufficere, ad hoc ut aliorum opera, quæ quidem recta sunt reprehendant. (b)

Videtur autem Hippocratis jam ævo penes Medicos quosdam viguisse cavillandi pruritus & invidia Medicorum, quâ hodiè nihil frequentius est, imo ita nunc invaluit, diabolica illa & Christiano homine indigna labe ut diverbium exinde factum sit, *Medicus Medico* (c) Rectius veterum semitas, & Hippocratis dogmata sequi videntur, qui medicamentorum præparationibus manus admove, & Chemiæ adminiculo varia adversus gravissimos morbos præsidia invenire, haud grave habent, aut Medici majestate indignum censent, cum non modò laudatus noster Medicinæ parens, & alii plurimorum retrò seculorum Medici celebres, verum & Reges, Principes aliique Viri maximè Illustres medicamenta quædam componere haud ignominiosum, sed laudabilè potius existimaverint, nominaque sua variis à se inventis imponere haud addubitârint.

Neque hoc elapso ferè seculo Heroës, Viri Principes, ac personæ maximè illustres defuere, qui Chemiæ adminiculo medicamina præstantissima varia præparare, manusque laboribus admove, haud detrectârunt, quin potius operationibus ejusmodi mirum in modum delectati

(b) *Hippocrates de Arte.* (c) *J. Masenius Util. Curiosit. Cap. XI.*  
*Cass. à Reies Elys. jucund. quæst. camp. Qu. XVI. Chr. Langius*  
*de Therm. Carolin.*



Stati sunt. (d) Et ut priscorum exempla transeam, pauca verò saltem recentiorum attingam, quid non ultimo hoc seculo modo dicto Chemiæ adminiculo in Medicinâ præstiterunt Medici Regii, Archiatri, Professores diversarum Academicarum, nec non Poliatri valdè celebres, Borrichius, Michaelius, Langius, Clauderus, Rolfincius, Ettmüllerus, Hartmannus, Ludovicus, Conerdingius, Hoffmannus, aliique, quorum celebris maximè fama & post fata diu mansit, manebit quoque ulterius. Hos autem adhuc hodiè non minori laude atq; existimatione sequuntur, plurimi in Germania & apud exteros viri celeberrimi, qui & artem hanc & seculum suum eximie ornant, quorum merita nulla abolebit posteritas. Imprimis autem Germaniæ superioris Academiæ & civitates meritò sibi gratulari poterunt hæcenus de Chymiatorum suorum laboribus, quibus utiq; ægrotorum suorum salus præ cæteris curæ, nec perinde fuit, an, uti loqui solet, quid pro quo detur ægro. Neque ibidem inepta varia de Chemicis audiuntur judicia explosione digna, cum homines firmiter credant, neminem rectius parare pharmaca, quam medicum ratione instructum & medicamentorum virtute utiq; edoctum, neq; falluntur fiduciâ suâ ægri. Habentur & ibidem officinæ, verum si saccharatorum infinitorum, aquarum destillatarum, oleorum, unguentorum, emplastrorum, pillularum, confectionum, & ut paucis multa complectar, absurdarum compositionum innumerabilium apparatus spectet aliquis, Pharmacapolæ certè fatis negotii relinquitur, ita ut cum famulo horum præparationibus & ineptis miscelis vix sufficiat.

Interim

(d) *Joh. Schröder. Quercetan. redviv. Pharmacop. general. s. Dogmat. Cap. I. Joh. Hartman. Philosoph. s. Natur. consult. Med.*



Interim fabrilia quoque tractent fabri atque Medici medicaminum selectiorum, & circumspeditione quâdam maximè opus habentium præparationes neutiquam detre-  
dent, monente celeberrimo Christ. Langio, qui, *Non im-  
meritò, inquit, Medici omnibus nervis sollicitos se exhibent,  
circa remediorum sedulo continuatas inventiones & facturas,  
siquidem non tantum modò venerandam antiquitatem hic ha-  
beant fideliter præeuntem ac Jatro-Chymicorum coronam bo-  
dièq; presso pede laudata hujus vestigia insequentem, verum  
ipsissima etiam necessitas & conscientiae cultus impense id in-  
culcet, quum tam ægrotantium vita quam medicinae gloria ac  
medicantis fama in remediorum dextrè paratorum sinceritate  
omnino atq; certitudine consistat.* (e) Certè mechanicorum  
instrumentorum suorum fabricam ignorantium, misera est  
conditio, neque facile opus cujusdam momenti hisce com-  
mittitur: At longè deterior Medici auxiliorum suorum &  
medicaminum præparationem nescientis conditio repu-  
tanda est, cum mechanicis adhuc licitum sit, commissum  
errorem corrigere, aut damnum suâ culpâ commissum re-  
farcire, Medico non item, cui bis peccare haud licet, benè  
autem æger culpam ejus solvit.

Facile jam constat, quàm longè à veterum mente re-  
cedant Miso-chymici, qui in medicamentis dijudicandis (ut  
propediem ostendam) turpiter hallucinantur, quod & er-  
rores toto die in officinis quibusdam commissi facile argu-  
unt, quos corrigere nec valent, nec audent, cum curtæ suæ  
suppellectilis sibi conscii sint. Mallem potius suam insci-  
tiam corrigerent, & dum ignota carpere conantur, sollicitè  
ponderarent, quid in officinis corrigendum, quid de inuti-  
libus

B

libus

(e) Chr. Langius *Miscell. curios.* XXXV.



libus compositionibus, pharmacopolis & publico ob summas impensas molestissimis abolendum, quid horum loco de novo inveniendum, sic profectò pharmacopolis & publico consuleretur optimè. Namque hodiè Medicina ita comparata est, ut pro sumtuosis & prolixis veterum compositionibus facilè compendiosæ magis, elegantiori artificio ac minori dispendio haberi queant, cum pharmaciae longè in melius mutata nunc observetur facies, variisque insuper gaudeamus, quibus destituebantur veteres.

Quid autem de malè constitutis & à pharmacopolis pessimè instructis officinis fiet, si Medicus in Chemiâ non versatus? qui poterit visitationes instituere? quæ à veteribus non omissæ, sed tantopere commendatæ fuere, (f) ut ad minimum semel in anno instituantur. Hodiè tamen quibusdam in locis, ubi aliàs multis parasangis de veterum Medicinâ & laudabili ritu sermo auditur, adeò in desuetudinem abeunt, ut non obstante pharmacopolæ il-  
laudibili vitæ genere, deficientibusque ejus facultatibus imo neglectu & defectu medicaminum ipso loquente, plurimorum annorum serie, ne quidem cogitetur de officinæ visitatione, vel studio, vel ob lucellum aliquod in publici detrimentum turpiter hætenus omissa. Et doleo sæpè personarum illustrium vicem, qui ubi hoc vel illo morbo corripuntur, pro pharmaco satis splendido titulo sibi præscripto, quisquiliis non citra notabiles expensas reportant ex ejusmodi officinis, & felix certè æger est, cujus naturæ robur medicamento vices supplet ejusque fungitur munere.

Cæterum & in pharmacopoliis aliàs benè satis instructis

(f) J. Masenius Util. curios. Cap. XI.



Etis, errores quoque committuntur, quorum correctioni & emendationi vix pharmacopola sufficit, benè autem tales Medici in Chemiâ versati iudicio relinquuntur, quale à pharmacopolâ exigere haud licet. Exemplo nobis sint salia vegetabilium fixa, quæ in multis officinis neutiquam alkalicæ indolis reperiuntur sed particulis acidis jam saturata, à quibus salium alkaliorum effectus frustra expectabis: Causam, ex præparatione Medico Chemiæ perito metiri licebit, vix autem operatori; nimirum, quod vegetabilium cineres, salium extractionibus dicati, prius cum sulphure calcinati fuerint, è quibus equidem nitidius magis sal extrahitur, quàm ex illis, qui præviam cum sulphure combustionem non experti sunt, sed virtute suâ alkalicâ planè destructum, qualis tamen in sale vegetabilium fixo desideratur, quod alkalicum audit, & acida quævis destruit, neutiquam verò illud, quod sulphure deperditum, & à particulis ejus acidis jam saturatum: hinc minimè illa præstat, quæ à salibus vegetabilium alkalicis fixis aliàs expectari poterunt. Enimvero hæc, ut pauca saltem recitem, nauseam arcent, vomitum feliciter sistunt, sulphureis verò acidis particulis saturata & contaminata illa nauseam non modò excitant, si assumantur, sed & quandoque vomitum movere solent, si in largiori paulò dosi assumantur, in febribus quoque intermittentibus planè inertia deprehenduntur, quibus tamen salia vegetabilium alkalicæ indolis medentur felicissimè.

Quinam lapsus circa diaphoreticorum Antimonialium & Mercurialium aliorumque præparationes in officinis quibusdam sæpius committantur, experientia toto die loquitur; nec semel practici Antimonium diaphoreticum &



Bezoardicum minerale diaphorescos loco periculose alvum movisse, Mercurium autem dulcem lethalia symptomata intulisse, suo ipsius & ægri damno experti sunt, quæ omnia peritia Chemica Medicis necessaria, hætenus verò in nonnullis desiderata evitari potuissent, juxta quam equidem malum effectum notârunt, causam autem non rimati sunt, multò minus operatoris culpam corrigere valuerunt.

Facile autem mihi objiciet aliquis, à practicis quibusdam salia plantarum fixa additis acidis variis quoque præscribi : Respondeo aliud esse acida salibus alkalicis fixis adjicere, aliud verò acidis salia modò dicta ita saturare, ut operationem suam perficere denegent. Prius ipse aliquando Clar. Riverium secutus, in febribus intermittentibus, aliisque vomitum pro symptomate satis molesto habentibus commendavi, mutatâ tamen Riverii exhibendi ratione, qua Absynthii sal fixum & alkalicum cum succo Citri miscetur & ita (dum particulæ acidæ cum alkalicis luctantur) propinatur. (g) Ego verò salem Absynthii in aquâ quâdam destillatâ conveniente v.g. Menthæ exhibui, & statim cochleare dimidium succi Citri, aut quod melius est, succi mali Aurantii (si haberi queat) cochleare unum superbibendum dedi, optimo cum successu. Propinatur quoque acidis planè saturata salia alkalia, Tartari vitriolati exemplo, ubi humorum visciditate peccantium incisione opusest, frustra autem talia præscribet aliquis, ubi humores aciditate peccant, cui neutiquam salibus fixis acido inebriatis, benè autem puris & sapore lixivioso gaudentibus obviam itur.

Interea tamen & Misochymicorum incongruas medicamento-



camentorum miscelas mirari satis nequeo, quibus suam in pharmacia imperitiam & pharmacopolarum famulis probant, à quibus & non rarò taxantur, & perstringuntur absurdarum compositionum schedulæ, & scriptæ illorum formulæ, quæ si modo præscripto à pharmacopolis parentur, non rarò præscribentes ipsi mira illa phænomena ex ineptis miscelis orta admirantur, eorumque causas cum eruere nequeant, pharmacopolæ id ipsum imputant, quod suæ in pharmaciâ ignorantiae imputare debuissent, quâ Medicinam prostituunt, aliisque ludibrio existunt. Cujus rei unum alterumve haud illepidum exemplum ut recitem, TIBI, ILLUSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME VIR, uti spero, haud ingratum erit.

Cùm anno 1684. Hamburgi degerem, vocabar ad Generosum quendam & Illustrem Cimbriæ Virum; in itinere salutavi oppidum, in quo per unam alteramve horam ob equorum pro uestione meâ destinatorum defectum commorari coactus sum. Conveni autem, ut tempus tererem, pharmacopolam, cujus officinam vix cùm ingressus essem, ecce advolabat Medicus istius oppidi, irato planè vultu, meque & pharmacopola (qui mecum stabat) in salutato, ex famulis quærebat, quis vestrum tam diabolicè præparavit meum consuli nostro præscriptum recipe? Respondebat pharmacopola, ipsemet paravi pharmacum & quidem secundum formulam à te præscriptam; falsum est hoc, oggerebat Medicus, namq; medicamentum vase fictili exceptum vesica quoq; bubula & duplici charta obligatum, mirum in modum distensionem & intumescentiam vesicæ atque chartæ effecit, quam cum admiratus esset æger digitoque leviter tentâisset deprimere,



rupta vesica & charta in faciem ejus profiliit electuarium; omni procul dubio Antimonium diaphoreticum, quod formulam meam ingreditur, pessimè à vobis præparatum est. Ad iram denique redactus pharmacopola regerebat, credo te ignorare, quid sit Antimonium diaphoreticum & quomodo illud parari debeat, nec multum aberat, quin inter eos à verbis ad verbera res devenisset. Rogavi, egomet, ut mihi monstrarent formulam, seu scriptum recipe, quod conflatum erat ex pulpâ Tamarindorum, Conservâ Rosarum, Pulpæ Citri, Coralliis rubris, Oculis cancri, Antimonio diaphoretico addito syrupo Cinnamomi, facileque ex miscelâ hâc fermentationis causa apparuit, quam indicare nolui, cum lis ad me non pertineret, hoc tamen innui, me non credere in præparatione quendam errorem fuisse commissum. Minus hoc placebat Medico, hinc non sine contemptu quodam ex me quærebat, Domine, quis te peregrinum mihi & pharmacopolæ constituit judicem? oggerebam satis promptè: Domine, quis te in pharmaciâ hospitem creavit in Medicinæ Doctorem? in simul fermentationis causam ipsi clarè satis indicabam, quod scil. illa succorum acidorum atque testaceorum à se præscriptorum miscelæ, neutiquam verò sinistra præparationi Antimonii diaphoretici adscribenda veniret, cum hoc ex Nitri & Antimonii mixturâ paratum & crucibulo candenti prius ingestum, equidem cum strepitu ageret, neutiquam verò cum succis vegetabilium & saccharatis aliisque in pharmacopolarum pyxide, uti fermè videbatur Medico nostro, qui de detonatione Antimonii cum Nitro in præparatione Antimonii diaphoretici aliquid audierat, aut obiter legerat, rem verò ipsam ignorabat. Interim



terim acquievit ineptarum miscelarum artifex & non sine pudore tacite errorem suum agnoscere coactus est, præprimis cum ex pharmacopolâ intelligeret, & me quoque alibi praxin medicam exercere. Non assumtum autem sed in faciem febricitantis Consulis profiliens Electuarium modò dictum, referente mihi postmodum per literas pharmacopola, hoc effecit, ut æger inde perterritus, postmodum febrilibus paroxysmis caruerit & citra alterius medicaminis usum, planè convaluerit.

Haud absimile exemplum Gröningæ Frisiorum anno 1678. observare mihi licuit, cum ibidem praxeos medicæ initia facerem: præscripserat nempe practicus quidā nobili cuidam virgini quartanariæ pillulas, ex Roob Sambuci ad consistentiam massæ pillularis inspissat. cum Coralliis rubris præparatis, Floribus salis Ammoniaci, pulv. radic. Gentian. ad sex vices instante paroxysmo assumendas; deferuntur pillulæ in pharmacopolio juxta præscriptionem paratæ, & schatulæ inclusæ ad ædes febricitantis, hæcque statim circa vesperam instante paroxysmo primam illarum dosin assumit, & nec benè nec malè inde se habet, schatulam tamen operculo suo iterum occludere obliviscitur. Insequenti mane ad cubiculum filiæ ægroantis deveniens mater, & quomodo sese habeat inquires, præ fenestra schatulam apertam cum pillulis offendit, easque mirè incrementum sumfisse, imo paucarum horarum spatio duplo ferè majores redditas observat; miratur rem, interim schatula ulterius aperta relinquitur quam circa meridiem petit, & ad ædes pharmacopolæ, deferri jubet, quo causam mutationis ex illo resciret, insimul & certior fieret, an & juxta præscriptionem Medic parâsseti



parâisset pillulas; sed nova & magis in admirationem matrem rapiens observatur metamorphosis, quippe paulo ante mole suâ grandiores redditæ pillulæ nunc in pulvem fermentescentem abiere, totam schatulam opplentem, ita ut spatium ejus huic retinendæ non amplius sufficeret. Mit- titur hæc mixtura ad pharmacopolam, advocatur etiam Medicus, qui hujus phænomeni causam explicare nesciens & pharmaciae minus gnarus, culpam rejicit in pharmaco- polam, hic verò uti par erat, in Medicum. Interim anxia hærebat mater, malum medicaminis effectum in filiâ me- tuens, & in totâ civitate de pillulis mira audiebantur ra- tiocinia, quarum formulam aliquot diebus elapsis vir qui- dam nobilis mihi monstrabat meumque desiderabat judi- cium. Nolui primò de alieno negotio meam pronuncia- re sententiam, cùm autem ulterius instaret, institutâ præfente illo pillularum præparatione apparuit, aëris ac- cessu facile & brevi temporis spatio solvi posse flores salis Ammoniaci & Roob Sambuci inspissatum humectari, cu- jus utriusque particulæ acidæ fluorem adeptæ, in pulve- rem Coralliorum agere, fermentationem quoque & par- ticularum motum producere utique aptæ repertæ sunt, atque ita miraculosi istius phænomeni ratio facilè appa- ruit.

Ante aliquot annos Medicus quidam præscripserat pulverem ex salis Absynthii partibus tribus & salis Ammo- niaci parte unâ paratum; è pharmacopolio petitus pulvis spirabat odorem volatilem urinosum, qualem tamen mixturam nunquam olfecerat hic practicus, hinc para- doxon ipsi videbatur ex relatione ægri, pulverem volati- litate suâ fortissimè ferire nares: quærebat ergò ex phar- macopolæ



macopolæ famulo , cur salem volatilem Cornu Cervi (aliud enim non ominabatur) adjecisset pulveri, vel huic substituisset? Respondebat hic, se nec salem volatilem Cornu Cervi adjecisse nec aliis salibus hunc substituisse. Noluit hanc responsione acquiescere Medicus, sed objecit, neque sal Absinthii, neque sal Ammoniacum odore volatili urinoso gaudere, unde ergo sal volatile? sed salis Absinthii & Ammoniaci mixturam statim instituit pharmacopolæ famulus illo præse, atque præsto odor volatilis se obtulit; ut autem aliquid dixisse videretur Medicus, an forsitan & ritè paratum fuerit sal Absinthii, in dubium vocat. Sanè si spiritus salis Ammoniaci cum salibus vegetabilium fixis adornatæ destillationi semel modò interfuisset, ex prævia saltem salium mixturâ hunc effectum facillè potuisset judicare, cujus ignarum se confessus erat.

Eodem ferè tempore, cum practico multorum annorum suam experientiam ubivis crepante, vocabar ad reverendum quendam virum, ob vitam sedentariam aliàs affectione hypochondriacâ mirè divexatum, nunc verò febre continua laborantem. Commendavit senex aliàs Chemicorum osor acerrimus, Misturam simplicem, ex triplici licet liquore Chemico, spiritu sc. Vitrioli, Tartari, & Theriacali camphorato conflata, cujus usum equidem renuere nolui, ob spiritum Vitrioli tamen corpore illo humoribus acidis jam scatente, utique suspectum judicavi, præprimis cum æger nos rogaret, ut quantum possibile abstinere pharmacis acore gaudentibus, quorum usum valdè sibi noxium semper observaverat. Oggerabat senex noster, se Syrupi Violarum additione velle temperare acidum quem adjecisset semper, inde quoque



non solum sapore gratum iri redditum hoc medicamentum, verum etiam jucundi coloris. Objeci syropos & saccharata neutiquam acidi vitrioli corrosivi spicula infringere, interim & æger monebat, se à saccharatorum & syroporum haud adeo pridem in tussi sibi præscriptorum usu pejushabuisse. Quæsi vi ergò ex illo, an non in rem ægri alia proponere vellet, acidum causticum manifestè corrigentia, respondebat talia sibi nondum innotuisse hætenus; commendavi hunc in finem sal volatile aut spiritum Cornu Cervi (quod ipsi paradoxon satis videbatur), Syrupum quoque Violarum, ut morem homini gererem, admisceri permisi, cùm hætenus, uti dicebat, hæc præscriptione usus fuisset, & Syrupum Violarum pro infringendis caustici liquoris Vitrioli spiculis sufficere posse crederet. Adfertur hæc mixtura ex officina, ego verò eodem die circa vesperam ad ægrum in Ducatu Lüneburgensi degentem evocor, postridie senex noster ægrum visitat, & mixturam non grato rubicundo colore (qualem citra additionem salis volatilis Cornu Cervi huc usque observaverat) sed viridi tinctam cernit; altercatur hæc de re cum pharmacopolâ, licet medicamentum satis benè vires suas exercuisset, eumque post reditum meum præsentem ægro inculpare conatur, quod minus ritè parasset mixturam præscriptam, & quidem ob viridem colorem, qualem nunquam in miscelâ suâ, uti dicebat, observaverat. Vix poteram tenere risum: pro more tamen suo suspicax æger & aliquid mali metuens medicamentum ulterius assumere detestabatur; cùm autem monerem, colorem illum viridem additioni salis volatilis Cornu Cervi natales debere, nullumque errorem, in præparatione fuisse commissum



missum, melius de medicamine nostro sentire cœpit. Noluit autem planè admittere hanc rationem delirans Medicus, quin potius per salia volatilia coloris immutationem & acidorum destructionem, pro autoritate suâ impossibilem judicavit. Ut lis determinaretur, petii, ut in ægri & amicorum quorundam, qui nobiscum aderant, præsentia institueremus experimentum, ob solam liquorum mixtionem factu facile, quod & autoritate suâ & senio fretus concessit Medicus noster. Petita ergo fuit è pharmacopolio Mixtura simplex cum syrupo violarum rubicundi coloris, & seorsim in vitro spiritus volatilis Cornu Cervi, gustarunt utrumque æger satis curiosus atque adstantes, tum Mixturæ syrupo Violarum tinctæ, spiritus Cornu Cervi sensim atque guttatim affusus est & confestim liquorum ebullitio apparuit, color quoque rubicundus in viridem mutatus, insuper degustata rursus mixtura ab ægro & adstantibus pristini saporis acidi planè expers, atque priori à nobis ægro præscriptæ colore & sapore planè similis reperta est. Mirum in modum perturbatus Medicus noster multorum annorum, tacitè jam errorem suum agnoscere cogebatur, in habitu verò nostro ausus meos juveniles cum murmure quodam increpavit. Ostendi autem non meâ, sed suâ culpâ institutam fuisse demonstrationem, insuper rogavi, ut imposterum juniorum Medicorum & Chemicorum famæ parceret, eorumque placitis non adeo pertinaciter contradiceret, cum illa non barbæ equidem, sed experimentis potius inniterentur.

Balsamum Sulphuris Terebinthinatum, Elixir Proprietatis, & Extractum Opii cum aceto distillato paratum (ô qualis mixtura!) à practicis haud parum experientiae



rientiæ suæ fidentibus unâ in pectoris affectibus præscripta fuisse memini, & assumerunt ægri primis vicibus Oleum Terebinthinæ, deinde Spiritum Vini parcè tinctum & phlegmate quodam acidiusculo dilutum, ultimò præcipitatas Balsami Sulphuris & Elixir Proprietatis particulas opiatas confusè mixtas.

Purgantia, quàm absurdè misceantur, variisque inconvenientibus combinentur, compositiones variæ in officinis, præprimis verò vina illa purgantia docent, ubi scil. cathartica varia cum herbis, radicibus, seminibus &c. nullâ prorsus harmoniâ gaudentibus confunduntur, quibus deinde adjicitur vinum, & ægris ad mundificationem, rectius autem, ad turbationem sanguinis & humorum commendatur. Primò namque constat, purgantium assumptorum efficaciam vino maximè refrenari, experiuntur quoque homines toto die, si medicamentum aliquod purgans assumptum fuerit, & præter expectationem fortius operetur, catharsin haustu vini assumpto statim coerceri posse, & dejectiones per alvum cessare. Deinde & varia dantur purgantia, quæ uti alibi jam monuimus vino minimè obediunt, toto tamen die in vino præscribuntur, exemplo nobis sint Mechoacanna, Jalappa similiaque cathartica particulis resinosis scatentia, qualia vinum non attingit, neque spiritus quidem ejus, nisi exactè rectificatus & ab omni phlegmate liberatus fuerit. Ejusmodi jam purgantia, si in vino præscribantur, non nisi particulas quasdam viscidas & terreas corpori maximè molestas deponunt in phlegmatico illo menstruo, resinosa autem & vere cathartica in residuo, repetitis licet affusionibus remanent & abjiciuntur, hinc ejusmodi vina assum-



assumta, teste experiētiā, in plurimis multum molestiæ parant, alvi tormina inducunt, & parum operantur, ita ut dejectio humorum commotionibus & perturbationibus haud respondeant, quales tamen ex præscriptione practicorum homines per plures dies ejusmodi vina assumptes perferre coguntur, quo successu facile cuivis constabit.

Interim tamen & resinas Jalappæ, Scammonii &c. Chemicâ arte paratas, & à practicis quibusdam pharmacorum Chemicorum usum alias damnantibus, toto die præscribi video, & quidem nunc pulveribus purgantibus permixtas, nunc in spiritu vini solutas, in vehiculo tamen minus conveniente, cerevisiâ scil. vel jusculeo calido & brodio carnis parato, hinc fit ut resinæ dentibus & palato inter assumendum adhæreant, & satis molestum minimeque gratum evadant remedium, præprimis si in spiritu vini solutæ resinæ in cerevisiâ calidâ, uti moris est, propinentur, ita namque solutiones præcipitantur, & sub massæ cujusdam tenacissimæ formâ ad fundum cochlearis deturbantur resinæ prius solutæ, quas ubi cum cerevisiâ deglutire tentat aliquis, dentibus & palato pertinaciter adhærent, & huic quoque ardore quodam ac ingrato sapore haud parum molestiæ creant. Vellem à Chemicis didicissent ejus osiores, vitello ovi aptè dissolvi posse ejusmodi resinas, earumque particulas ita discontinuari, ut citra molestiam assumantur. Sic cum vitello ovi tritæ & solutæ diversorum purgantium resinæ spiritu vini extractæ, atque deinceps inspissatæ, affusâ aquâ quâdam destillatâ, additoque Syrupo convenienti quodam, in liquoris formâ aptè præscribi poterunt, tritæ etiam & spiritu vini



exsolutæ iterum, commodè & citra coagulationis vel præcipitationis metum in jusculo calido ex cerevisiâ & vitello ovi parato, saccharoque pauxillo edulcorato, exhibentur.

Varias alias incongruas & planè ridiculas pharmacorum miscelas Chemiæ ignorantia hætenus tentatas recitare, lubens nunc supersedeo. Paucis tamen ostendam opus est, quam inique Misochymici aliorum auxilia taxent & suspecta reddant, quibus tamen praxis illorum ipsamet ex pharmaciæ ignorantia toto die utitur. Monstrant hoc pharmaca mineralia varia, quæ corpori humano minus convenientia nec salutaria judicant, cum magna (uti garriunt) vehementia in illud agant, hinc veteres vegetabilibus saltem contentos fuisse, ut tutò curationes suas perficerent &c. Egregium certè assertum, & speciosum figmentum, de quo venerandæ antiquitati nunquam & ne per somnium quidem aliquid in mentem venit. Sanè antiquissimos Medicos mineralibus, suspitione licet haud carentibus, sæpissimè usos fuisse, nemo nisi in lectionibus illorum planè hospes inficias ibit. Sic magnus Hippocrates asthmaticis sæpius præscripsit æruginem cum melle tritam, Galenus, contra dysenteriam calcem vivam, squamam æris, imo ipsum Auripigmentum & Sandaracham, florem quoque æris intus exhibitum optimè purgare corpus audacter asserit. Et quid referam Archigenem, Andromachum, Aëtium, Trallianum, Dioscoridem, aliosque infinitos Græcos & Arabes, qui noxia perinde atque innoxia mineralia intus feliciter & cum laude suâ plurimâ exhibuerunt? quorum tamen consuetudinem sequi hodiè neutiquam necessitas jubet, cum

dextrè



dextrè præparatis mineralibus gaudeat Chemiâ. Interim & antiquos superiorum quoque seculorum Medici longè celeberrimi, Matthiolus, Julius Alexandrinus, Crato, Gesnerus, Rondeletius, Fallopius, Platerus, Camerarius, Zwingerus aliique secuti sunt, mineralia etiam cruda æque ac Chemicè præparata ægris suis præscribere haud detrectarunt, citra illorum quoque usum gravissimos morbos haud eradicari posse, utique rati sunt. Et certè contumacissimi morbi absque mineralibus & Chemicis non exterminantur, his verò qui destituuntur Medici, juxta celeberrimum quendam Angliæ Chymicum fabris similes sunt, qui ad secandum hebetem securim vel fortè medio confractum adhibent. (h)

Quid si verò Chemicorum osiores mineralium crudorum æque ac Chemicè paratorum usum satis inepte juxta veterum placita ex Medicinâ proscribere volunt, quare non etiam ex praxi suâ proscribunt acidulas, & minerales aquas, (citra Chemiâ licet sibi planè ignotas) ultimum tamen suum in medendo refugium, ad quas ægros omnibus frustra tentatis viribusque collapsis, denique ablegant, quo Miso-chymicorum laudabili ritu hodie nihil frequentius? quare ipsimet promiscuè mineralibus crudis & Chemicè præparatis, Sulphure, Cinnabari, Hæmatite, lapidibus pretiosis & non pretiosis variis, Unicornu fossili, Nitro, Vitriolo, Auro crudo, Croco Martis, imò Antimonialibus, & Mercurialibus suspectis, Antimonio diaphoretico, Bezoardico minerali, Mercurio dulci &c. utuntur? Quæ à Medicis in Chemiâ liberè seu potius illiberaliter debacchantibus præscribun-

(h) *Th. Musettus Dialog. apolog. de Jure & præstantia Chemicor. Medicament. in Præfat.*



scribuntur quotidie & tutissimi usus reputantur (quamvis de bonâ vel malâ talium præparatione planè nihil ipsis constet) Chemica quoque non sunt : Quando vero à Medico in laboribus Chemicis exercitato, circumspectè præparantur & exhibentur, Chemica noxia audiunt. Num forsan scriptum Recipe benedictionis vices in illas supplet, ut huius beneficio salutaria reddantur, sine hoc verò insalutaria & planè noxia reputanda sint ?

Non possum autem quin hâc occasione recitem ineptum, & ignorantiam redolens practici cujusdam iudicium de alterius Medici præscriptione datum. Scilicet in civitate quâdam Germaniæ inferioris notissimâ, vocabatur Medicus ad generosam fœminam, cujus filiulus febre decumbebat continuâ, huic autem præscripserat pulverem ex Oculis Cancrorum præparatis, Antimonio diaphoretico, Coralliis rubris præparatis, & Nitro, haud contemnendum. Fœmina curiosa satis circa medicaminum notitiam, ex lectione schedulæ intelligit præscriptum fuisse Antimonium, de quo à Medicis ignaris varia mala audierat, hinc venenum esse firmiter credebat, mittit ergo ad alium Medicum, qui tutissimum Antimonium diaphoreticum ex Nitro & Antimonio, uti constat, paratum, non tanquam Antimoniale saltem, sed & ob præparationem Chemicam contemnit; ex gravi verò pharmacie ignorantia, huic Bezoardicum minerale substituit, quod non modo Chemicum, sed & ex Antimonio cum Mercurio sublimato maximè corrosivo & spiritu Nitri Aqua forti analogo paratum (egregium licet diaphoreticum) & in præparatione summâ utiq; circumspeditione præ Antimonio diaphoretico opus habet. Hoc autem, quia mi-

tius



tius Bezoardicum scil. minerale & non antimoniale audiebat, utique ex mente ejus securius & non Antimoniale erat, multo minus Chemicum, cum paulò post interrogatus Bezoardicum minerale non Chemicum, sed fossile atque è montibus erutum judicâset.

Progredior ad regnum Vegetabile, quod ex unâ in alteram ignorantiam prolabentes Misochemici corpori humano aptissima medicamenta largiri pronunciant, non obstante Chemicorum mineralium usu, quo ipsimet toto die, ut jam ostensum est, detinentur. Laudant autem præ Chemis leniora sua purgantia, decocta & saccharata varia: verum quod purgantia leniora attinet, alibi jam monuimus, Chemicos non solum ex mineralibus, verum etiam ex vegetabilibus purgantia longè blandiora & tutissima conficere, quæ decantatis lenioribus, utique mitius & securius operantur. Misochemicos vero citra Chemicorum salia, purgantia sua minus corrigere aut eò redigere valere, ut mitiorem effectum exercent. Decocta autem quod attinet, Chemia, non verò alia ars modum legitimum hætenus docuit, cujus adminiculo non modo decocta, sed & alia è regno vegetabili petita pharmaca menstruorum aqueorum adminiculo ita parantur, ut ingredientium vis integra in liquore resideat, quæ modò vulgari institutâ decoctione, nonnunquam vel in auras maximâ ex parte abit, vel in decocti residuo adhuc reperitur; hunc in finem vegetabilia particulis oleosis ac fugacioribus scatentia infusioni vel blandiori saltem digestionî committunt, quæ pro extractione harum sufficit, neutiquam verò decoctio, quâ accedente



cedente modo dictæ particulæ disperguntur, fugam petunt & in auras abeunt; alia verò particulis resinosis, salino-terreo-mixtis turgentia, decoctioni subicere utique rati sunt, adjecto sale quodam conveniente, quod resinofum illud viscido ac terreo junctum recluderet, soli menstruo aqueo aliàs minus obediens. Saccharata quod spectat, ecquis pharmaciae gnarus illa è pharmacorum Chemicorum numero proscribet & Galenicorum medicaminum nomine insigniri debere existimabit? cum Galenus nunquam viderit saccharum, & longè post eum demum (non sine Chemiæ adminiculo tamen) inventum fuerit tale, cujus in Galeni aliorumque veterum scriptis nulla planè reperitur mentio; namque melle hi utebantur, non verò saccharo.

Miror hinc, cur Chemicorum ofores acerrimi & in veterum verba jurantes Medici toto die utantur syrupis vegetabilium variis, utiq; Chemicis pharmacis non modò ob saccharum, sed & ob præparationem suam annumerandis. Constat namque è vegetabilium succis probè depuratis cum saccharo parari syropos coctionis adminiculo, jam si Chymiae nomen ejusque Etymologiam spectes, illa facilè ars erit extrahendi & præparandi succos diversorum corporum. Qui ergò audent ad syruporum usum devenire Mysochymici? quomodo à veterum more adeò recedunt, ut utantur aquis destillatis aliisque Chemiæ adminiculo non modo paratis sed & à veteribus Medicis ne-tiquam in usum receptis, aut ullo modo memoratis? (i) quibus ut & saccharum uti jam diximus adnumerari pos-sit,

(i) *Petr. Castellus Opt. Medic. Sect. XII.*



fit, nonne hoc vetat illorum in veterum Medicinam religio?

Aquis autem destillatis & syrupis, insuper liquores Chemicorum minerales maximè causticos & non nisi durissimorum corporum corrosionibus à peritioribus Chemicis destinatos adjiciunt, ut refrigeria habeant in morbis calidioribus, per oleum ignem extinguere annitentes. Alii & acidum maximèque corrosivum Sulphuris spiritum in pectoris affectibus & phthisi ipsâmet præscribunt, existimantes, Sulphur cum pectoris affectibus dicatum sit, ex eo elicited liquorem causticum eadem prorsus ratione hisce mederi, haud intelligentes, in Sulphure monstrante Chemiâ bituminosas & salino-acidas reperiri particulas, quarum illæ pectori longe gratissimæ reperiuntur, hæ verò non nisi violentiâ elicite, mirumque in modum alteratæ, neutiquam pectoralibus accenseri poterunt. Interim à practicis in Chemiam injuriis, toto die decoctis & julapiis pectoralibus adjiciuntur. Simili ritu cum spiritu caustico Vitrioli procedunt, postquam enim à Chemicis didicerunt, Vitriolum hæmorrhagias feliciter sistere, & vi stypticâ insigni gaudere, spiritum quoque ejus maximè causticum in sanguinis sputo præscribere haud addubitârunt, delirantes Chemicorum simii; miror cur non & oculis infundant liquorem Vitrioli corrosivum, & homines visu privent, cum Vitriolum crudum in variis oculorum infirmitatibus peraptè aquas ophthalmicas ingrediatur. Sanè destillationis ope mirè immutantur corpora, diversimodèque modificantur eorum particulæ, (k)

D 2

ita

(k) *Joh. Bohn Dissert. Chymic. Physic. XI.*



ita, ut ejus adminiculo ex uno medicamento virtute & efficacia planè diversa obtineantur, uti Chemicis toto die experiuntur.

Interim tamen & valdè miror, cur & vegetabilia Chemica valdè calida pronunciata, à Mischymicis in schedulis eorum seu Recipe tamen præscripta reperiantur v. g. ut pauca recitem, Elixir proprietatis, Extracta Absynthii, Zedoariæ, Aquæ cephalicæ, stomachicæ & carminativæ, Elæosacchara, Spiritus Theriacalis Camphoratus, quem & in febribus aliisque calidioribus affectibus præscribere non addubitant, cùm tamen præci de his nullam in curationibus morborum fecerint mentionem, calidissimis interim pharmacis in febribus acutis ardentibus & peste ipsâ usi fuerint, quemadmodum ex confectiionibus illorum variis videre licet. Vix autem credo, veteres spiritibus causticis Vitrioli, Sulphuris &c. vim refrigerandi insignem facile tribuisse, cùm ignis instar agant & in operationibus Chemicis haud rarò vices ejus suppleant; interim tamen à Chemicis mutuuntur tales pro refrigerio, medicamentis verò refrigerantibus illos planè destitui & citra pudorem pronunciatur, quomodo hæc poterunt conciliari? At novum superest argumentum omni procul dubio Chemicorum jugulum petiturum, sanguinem non sæpius mittunt, in cujus emissionem omnis salus & tota refrigerii spes. Si autem hoc, qui Mischymici opus habent ad liquores modò dictos corrosivos, Antimoniata quoque & Nitrata Chemica in febribus aliisque morbis calidioribus devenire, uti toto die observatur? Parco esse in sanguinis missione Chemicos facile credo, ubi tamen neces-



necessitas illam exigit, lubenter admittunt, & ipsemet in infantibus octo vel novem mensium necessitate postulante, venæ sectiones instituere haud dubitavi. Interea & Chemicis sanguinem non ex ducti colore metiuntur, (uti ridiculi Misochymici, qui eum ex rubedine & consistentiâ judicant, & egregie decipiuntur, cùm ratione vulneris inflati, missionis & aëris ambientis, ejusmodi phænomena diversimode exhibeat, (l) & scorbuticorum phthysicorumque sanguis vivido colore & fluore præprimis gaudere conspiciatur) sed ex præstantiâ suâ, dignitate & lege divinâ æstimant hoc vitæ nostræ vehiculum, & incomparabilem corporis nostri thesaurum, cujus prodigiosa profusio penes phlebotomistas toto die in usu est, penes Chemicos verò minimè, & non nisi necessitate jubente. Non unâ namque ratione inducti autumant, varios morbos citra sanguinis detractionem & virium jacturam sanari posse, in quibus satis malè sanguinis profusio (quo effectû non rimabor) facta hætenus, quâ tamen penitus non admissa, & in calidissimis regionibus Medici morbos profligant optimè, (m) probè intelligentes, virium conservatione ad morborum medelas maximè opus esse, quam & veteres in scriptis suis tantoperè commendârunt, quibus tamen non obstantibus citra necessitatem sanguini bellum indicitur quotidie, non minus bili, cum quâ plurimis jam seculis infelicitè pugnârunt Medici plurimi, non secus ac illi qui cum spectris imaginariè luctantur, ubi tamen spe-

D 3

tra

(l) *Fr. Bayle Problem. Physic. Medic. I. II. III. IV. &c.*

(m) *Rob. Boyle de Util. Philos. experiment. Exercitat. V.*  
*Jf. Vossius Var. observat. cap. XIX.*



Extra non sunt. Et quid non hodiè adhuc patitur innoxia bilis, quæ in practicatorum quorundam ore toto die versatur, quas non de laudabili hoc succo sibi fingunt chimæras? cujus defectu & dyscrasiâ multa ægrotantium millia moriuntur, ita ut necessitas exigeret, de conservatione hujus fluidi, sanitati nostræ maximè proficui, mille modis cogitare, quod variis artificiis è corpore nostro proscribere al-laboravit medicorum stupiditas. (n) Sanè in corporibus variis, morbis chronicis extinctis, bilis inopiam, fluorem impeditum & mutatam crasin, institutis dissectionibus si notâssent toties, succi quoque hujus balsamici & ad vitæ conservationem necessarii energiam, vocatis in subsidium experimentis Chemicis variis si didicissent, (o) utique non opus habuissent, bilem purgare, temperare, aliisque modis castrare, quali irrationali medendi methodo in morbis ineptè bilis culpæ attributis instituta, haud rarò febres, aliæque infirmitates aliàs facilè curabiles, in affectus chronicos degenerant, ægrique methodicè curati denique methodicè moriuntur. Quid verò de humorum quorundam variis coloribus & visciditate sibi non imaginatur in Chemiam acerba hominum autoritas? citra illam tamen nescia, tales minimè in corpore nostro existere, sed extra corpus saltem ob caloris defectum minus fluidos,

(n) *D. van der Beke, Exper. & Medit. circa Natur rer. princip. Lib. I.*

(o) *I. Bohn Circul. Anatom. Physiolog. Progymnasm. XVII. M. Etmuller Medic. Theor. & Prax. general. instruct. Physiol. Cap. XV. Wilh. ten. Rhynce Meditat. in Veter. Medicin. Hippocrat. Artic. IV.*



dos, gelatinosos aut viscidos reperiri, quales tamen ad partium nutritionem & vitæ conservationē maximè opus esse, salibusq; balsamicis turgere, experimenta Chemica quemvis facile docebunt. Et quàm egregiè citra Chemiæ notitiam in dijudicandis urinis & excrementis aliis non decipiuntur Medici? quam enormiter sine hâc non hallucinantur? cum urinæ & excrementa alvi assumptorum tam alimentorum, quàm pharmacorum ratione, mire mutantur. Ut varia mittam, à Martialibus nigredine tincta alvi excrementa pro atrâ bile reputata sunt, à medicamine verò ex Hæmatite & sale Ammoniaco parato & assumpto, rubore infecta, pro dysentericis excrementis habita & quidem à Medicis qui ipsimet talia pharmaca præscripserant, qui si Chemiam ex manuali operatione, non verò ex rumore aut falsâ hypothesi novissent, non modo hæc sed & majoris momenti alia evitare potuissent, existimationi suæ minus respondentia. Interim nemo, nisi cui rationis oculus deest, diffitebitur, citra Chemiam non modo Medicinam sed & artes varias alias mutilas & mancas esse; ducit enim illa ad Physicam & felicissimè naturæ opera rimatur, ejusque imitatrix audit, ducit ad rationale morborum judicium & dexterrimam medicaminum præparationem, viam sternit ad artes mechanicas omnes, ita, ut deficiente Chemiâ deficeret typographia, ars pictoria, vitriaria, tinctoria, braxatoria, minerarum liquefactio & depuratio &c. Tale autem testimonium VIR EXCELLENTISSIME à TE quoque facile expectabit Chemia nostra, ad quam excolendam eruditissimæ TUÆ literæ me impulerunt, quoties conatus



\* ( 32. ) \*

natus meos limato Tuo judicio subjicere ausus sum. Per-  
ge, rogo, favere laboribus meis hæcenus in Illustri hâc  
Juliâ pro tenuitate mearum virium susceptis. Ego verò  
summum venerabor Numen, ut TE, rei literariæ De-  
cus, per plures annos sanum sospitemque servare, vi-  
tâque longâ beare velit. Vale, VIR EXCEL-  
LENTISSIME, meque TUUM  
cultorem ama.









